

M. Multi antiqui Patres usum Imaginum Dei expedit negarunt. Hinc S. Augustinus lib. *de fide & Symbolo* cap. 7. ait, *nefas esse Christiano simulacrum Deo collocare in templo*. Alii tamen Sancti Patres, & omnes modo Theologi existimant, Deum depingi posse, quia jam frequens, & ab antiquissimo tempore receptissimus in Ecclesia ubique viget usus pingendi tres Sanctissimæ Trinitatis personas, *Patrem* videlicet sub effigie senis; *Filium* sub specie hominis, cuius naturam in Incarnatione assumpsit; & *Spiritum Sanctum* sub figura Columbæ, in qua, dum baptizaretur Christus Dominus, sese oculis hominum objecit. Quam consuetudinem Sanctissimæ Triadis depingendi personas consecravit Concilium Tridentinum sess. 25. cum in suo decreto supponat, Deum depingi solere. Quantum attinet ad Angelos, dubium non est, quin possint depingi, non quod sint corporei, ut perperam visum est quibusdam vetustis Scriptoribus, sed quia sese sub figura humana, teste Scriptura Sacra, identidem conspiciendos exhibuerunt. Ita definitum est in septima Synodo generali, immo testatur S. Gregorius Nazianzenus Oratione vicefima tertia, jam usitatum fuisse quarto Ecclesiæ sæculo morem pingendi Angelos cum forma corporea sub candidis vestibus.

D. Legebam nuperrime in quodam libro gallice edito, nonnullas Ecclesias, præsertim Gallicanas, diu multumque restitisse definitioni de cultu Sanctarum Imaginum factæ in septima Synodo generali. Id an verum sit, & quo pacto accidit, rogo te, ut paucis exponere non graveris?

M. Cultum aliquem, seu venerationem Sanctis Imaginibus exhiberi posse nunquam negarunt Galliarum Præsules, sed tantum admittere renuerunt disciplinam, seu modum illius Imaginum cultus, quem sanxerat septima Synodus generalis, seu Nicæna secunda, tot signis exterioribus insignitum, puta deofuscationibus, thymiamatibus, incensis, luminaribus coram accensis, adgeniculationibus, capitis inflexionibus, &c. Hæc enim Imaginum cultus disciplina, seu iste Imagines colendi modus Gallis inusitatus plane, & inauditus erat, solique Deo ritus hi externi honorantur apud eos tum temporis impendi solebant. Cum igitur Galliarum Antistites pertimescerent, ne cultus interior Deo exhibitus promiscue cum cultu interiori Imaginibus delato confunderetur, & ne hæc Imaginibus exhibita honorificentiora signa imperitis saltem & rudibus errandi darent occasionem, huic modo colendi Imagines reclamarent. At in eiusmodi altercatione quæstio minime versabatur de ipso Imaginum cultu, sed tantum de modo Imaginibus deferendi cultum, qui ad meram disciplinam pertinet. Quocirca, quantum ad ipsum fidei dogma de cultu Imaginum, Episcopi Gallicani cum Græcis non pugnant, sed dumtaxat cultum superstitiosum & in disciplina solum, seu in modo colendi Imagines a Græcis dissentiebant. Verum, ut sit de hac altercatione, quam occasione cultus Imaginum octavo & nono Ecclesiæ sæculis Galliarum Episcopi cum Græcis habuerunt, de qua in se-

quenti Colloquio plura, auxiliante Deo, dicemus, certissimum est, finem huic controversiæ tandem impositum fuisse, totumque Orbem Christianum definitioni septimæ Synodi generalis subscripsisse, & diu quidem antequam impiam illam & laudabilem de cultu Imaginum praxim insurgerent rediivi Iconomachi, Calvinistæ scilicet & Lutherani, quorum impietatem merito confixit Synodus Tridentina sessione vigesima quinta his verbis: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colenda, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, que in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam bonos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa que ille representant, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum ille similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant Episcopi, per Historias Mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & assidue recolendis; cum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum, que a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla, oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant; ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant, excitentque ad adorandum & ad diligendum Deum & pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, Anathema sit. In hæc autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nulle falsi dogmatis imagines & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Hoc, longiusculum licet, Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Decretum hic consulto descripsi, quia in eo tota continetur Ecclesiæ super Sanctarum Imaginum cultu; doctrina, & omnes damnantur abusus, qui in eum quoquo modo irrepere possunt (a).*

(a) Quæ fuerit Ecclesiæ Gallicanæ mens in cultu sacrarum imaginum non ex alio melius, quam ex Auctore librorum Carolinorum eruere licet. Ille igitur lib. 3. Cap. 14. versandum sibi proponens argumentum a Græcis allatum, licere scilicet Imaginibus principum idem obsequium præstare, quod ipsis principibus coram impenditur. Huic ergo reponit author incaute id equidem imaginibus principum exhiberi, quamquam divinus in ea re non deprehendatur cultus ..... illis enim obsequiis illatis non apparet eos tunc regum imagines adorare censuisse. Ex his verbis elucet rem hic esse de disciplina, non vero de dogmate. Abstinentium ab eo cultu

„ edit-

„ edicunt, metu ne forte discrimen aliquod rudibus paretur. Licere illud quidem agnoscunt, sed impendendum negant, ne indoctis quibusque scandalum generetur, qui nihil aliud in his præter id quod vident venerantur & adorant; quæ verba sunt ejusdem authoris cap. 16. Demum capite supremo ejusdem operis ultro admittitur adoratio religiosa erga imaginem crucis Christi, eo quod is cultus ab Ecclesia sancitus est; de imaginibus vero ait Scriptor: *Quid tale huic simile ab Ecclesia Catholica sancitum est? Nonne cernis hic cultum ipsum erga Imagines, mandari ab Ecclesia posse, sicut reipsa erga Crucem sancitum fatentur? Mandet Ecclesia, & salva res est.*

D. De Iconoclastarum hæresi multa paucis complexus es, ac lubentissime subscribo Concilii Tridentini Decreto, quod ad stabilendum Sanctarum Imaginum cultum, & ad præcavendos quoscunque abusus, qui vel ex plebis ignorantia, vel ex Pastorum incuria in eum irrepere possunt, sapientissime conditum est. Veniamus nunc ad alteram hæresim, quam octavo Ecclesiæ sæculo a Felice Urgellitano Episcopo, & ab Elipando Toletano Antistite proculam fuisse, me antea præmonuisti.

M. Circa annum dccclxxx. Elipandus, qui Toletanæ Ecclesiæ in Hispania præerat, Felicem Episcopum Urgelle, quæ Civitas est in Pyrenæi Montis jugo sita, præceptorem quemdam suum consuluit, quo pacto Christum agnosceret Dei filium, naturalem an adoptivum? respondit Felix, Christum secundum naturam assumptam filium Dei esse non naturalem, sed adoptivum, hoc est, Christum, qua parte homo est, filium Dei esse adoptione, non natura. Unde, licet unam personam in Christo confiteretur Felix, per consequentiam tamen quandam credebat in Hæresim Nestorii, duas in Christo personas constituentis. Natura siquidem, & adoptione unius Patris filius unus esse non potest, nisi gemina persona admittatur, quod erat Nestorii delirium. Hic fuit palmaris error, quem docuit Felix, editisque libris acriter propugnavit, ut refert Jonas Aurelianensis Episcopus, idemque testantur Eberius, & Beatus lib. 1. adversus Elipandum. Hoc Felix responsum ubi accepisset Elipandus, istud pestiferum dogma per Asturias, & Gallaciam disseminavit, Felix vero Septimaniam eodem errore infecit, sed Gallis, ac Germanis eum asslare frustra conatus est, Carolo Magno Imperatore Antistites, & Viros Galliarum eruditos ad novam hæresim oppugnandam excitante, atque auctoritate sua Hæreticos comprimente, ut scribit jam citatus Jonas Aurelianensis initio lib. 1. de cultu Imaginum contra Claudium Taurinensem. Id ubi rescivit Hadrianus hujus nominis primus Summus Pontifex, ad universos Hispaniarum Episcopos scripsit Epistolam, quæ est nonagesima septima Codicis Carolini, qua eos monet, ut Elipandi Nestorianam in Christum Dominum blasphemiam, convocato Episcoporum cœtu, quamprimum coercerent. Non desistit tamen Elipandus errore, quem a Felice acceperat, publicare,

multosque in suas partes adducere, inter quos fuerunt Ascarius Bracarenis Episcopus, & Fidelis Abbas, cui primo Elipandus suæ sectæ arcana revelavit, scripta ad eum Epistola anno Christi dccclxxxv. ut docet Beatus Abbas initio libri primi adversus Elipandum. Accessere etiam ad eandem sectam Cordubenses nonnulli, ut liquet ex Elipando in Epistola ad Felicem nuper conversum, & ex Alcuino. In gliscentem hanc hæresim stylum acuerunt mox citati Eberius Uxamenis Episcopus, Beatus Abbas, nec non Paulinus Aquilejensis, sed in primis Alcuinus, qui contra Felicem Urgellitanum septem edidit libros, & quatuor alios composuit adversus Elipandum Toletanum. Felix Urgellitanus damnatus est Narbonæ primum anno dccclxxxviii. Dein Ratisponæ anno dccxcii. tum Francofurti ad Mænum anno dccxciv. mox sub Hadriano Summo Pontifice Romæ, ibidemque sub Leone III. anno dccxcix. ad hæc, eodem anno in Synodo Urgellitana, ac demum eodem itidem anno in Synodo Aquigranensi confutatus convictusque est ab Alcuino. Post obitum tamen Felicis, qui in Synodo Aquigranensi palinodiam decantasse, & ad sanioerem mentem rediisse visus fuerat, & quem Lugduni in Galliis ex hac vita migrasse ex fama refert Ado in Chronico; invenit Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus quemdam illius Felicis Dialogum, eoque perlecto, animadvertit hominem diligenter, fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in quo dudum fuerat detectus, & propter quem ab honore Episcopatus depositus. Agobardi hoc de libello censuram quidam ex fratribus indigne tulerunt, arbitrati, eam non procedere ex zelo fidei, sed invidentiæ. Hinc est, quod tum iudicii sui æquitate, tum fidei integritate ac religione impulsus, hanc Felicis Urgellitani Schedulam ut vocat, seu Dialogum, impugnare aggressus est Agobardus in gratiam simplicium, rudiumque Christianorum, qui incaute admirantes vitam prædicti Felicis, probanda cuncta putabant, que dixisset; nescientes, quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. Opusculum hac de re suum Agobardus nuncupavit Ludovico Imperatori, & extat in Bibliothecis Patrum. Propter hanc fidei Schedulam, seu Dialogum, quem post obitum suum Felix Urgellitanus Episcopus reliquit, dubium est, an Hæresim revera, & sincero animo ejuraverit? Eum in errore suo mortuum fuisse ex fama refert Ado in Chronico, ubi ita scribit: *anno Incarnationis Domini dccxcii. Felix Urgellitanus Episcopus hereticus deprehensus, adoptivum, non proprium Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum dogmatizans, qui ad presentiam Adriani Pontificis Romani deductus hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra supradictam hæresim in Francofurt, Legatis Sedis Apostolicæ presidentibus Theophylacto, & Stephano Episcopis auctoritate Sanctorum Patrum convictus, & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus est, quem ferunt*

ferunt in eodem ipso suo errore mortuum. Meliorem sortem nactus est *Elipandus* Toletanus Episcopus, ille siquidem, quamvis diu veritati restiterit, & errori suo mordicus adhæserit, tandem *Alcuino*, eum, ut ad gremium Ecclesiæ Catholicæ rediret, sedulo adhortanti cessit, & pie mortuus est, ut testatur *Tamagus* in Toletanorum Archiepiscoporum Catalogo.

D. Esetne modo hæreticus ille, qui, unicam in Christo Domino personam admittendo, diceret, eum esse filium Dei adoptivum, supponendo adoptionem cadere non in personam, sed dumtaxat in naturam humanam assumptam, ratione cuius Christo competat adoptio?

M. Nonnulli e Schola Theologi post *Durandum* lib. 3. sent. dist. 4. quæst. 1. docent, Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum. Verum, hæc sententia, pace illorum Theologorum dixerim, hæresi *Felicitis*, & *Elipandi* haud parum patrocina videtur, quia nempe nemini privato Theologo licitum est pro nutu & arbitrio novas vocibus significationes assignere, aliter nihil certum esset, nihil fixum in definitionibus Ecclesiæ, & aliunde in apertum discrimen vocaretur fides Catholica, cum ex una parte certa omnibus tum Juris consultis, tum Theologis & fixa notio sit adoptionis, quæ sit assumptio personæ extraneæ; ex altera vero parte imminente cum periculo fidei affirmaretur, Christum, ut hominem, esse filium Dei adoptivum, ex quo palam sequeretur, non modo duos esse in Christo filios, sed & duas personas, reclamantibus ex adverso Scripturis, Sanctis Patribus, & Conciliorum decretis. Quocirca, cum juxta naturam hujus vocis adoptionis significationem, non in naturam, sed in personam cadat adoptio, duplicem personam in Christo admittere jure præsumeretur ille, qui eum diceret filium Dei adoptivum, tametsi profiteretur se id intelligere ratione naturæ humanæ, non ratione personæ. Præterquamquod falso supponunt hi Theologi, naturam humanam Christi esse Verbo divino extraneam, ac subinde Christo adoptionem ratione naturæ humanæ competere posse. Falso, inquam, id supponunt hi Theologi, natura siquidem humana in Christo respectu Verbi divini post factam semel unionem hypostaticam, quæ naturalis est, & substantiva, non potest dici extranea, sed potius propria Verbo divino, utpote quam, ut suam & propriam possideret Verbum, idque consentaneè ad mentem SS. Patrum, qui adversus *Nestorium* dimicantes, ut ostenderent carnem, seu humanitatem non esse Verbo extraneam, & alienam, sed propriam, totis viribus allaborarunt. Apagere ergo sententiam *Durandi*, & aliorum ei adstantium Theologorum, qui asserunt, Christum ratione naturæ humanæ esse filium adoptivum.

D. Suppetitne tibi aliquid aliud dicendum de Hæresibus, quæ octavo sæculo Ecclesiam exagitarunt?

M. Ne quid intactum relinquam, breviter hic atroxam errores *Adalberti* natione Galli, &

*Clementis* genere Scoti, qui anno circiter septingentesimo quadragesimo quarto turbas excitare, plebem Christianam ementitæ sanctimoniam larva seducere, & S. Bonifacio Germaniæ Apostolo negotium facessere cœperunt. Horum hypocrisim, sanatismum, & deliria graphice describit. idem S. *Bonifacius* in Epistola, quam scripsit ad *Zachariam* Summum Pontificem, quæ inter Bonifacianas est centesima tricesima quinta. *Adalbertus* fuit damnatus in Synodo Sueffionensi habitata anno dcccxliv. Rursum, idem *Adalbertus*, & *Clemens* confixi sunt in Concilio Germanico in Majoratu *Carolomanni* incerto loco celebrato anno dcccxlv. ut scribit *Orblonus* in Vita S. *Bonifacii* lib. 1. cap. 37. Postremo, ubi accepisset *Zacharias* Papa ea, quæ in Concilio Germanico contra duos illos Hæreticos peracta fuerant, Synodum Romæ convocavit eodem anno dcccxlv. in quo in *Adalbertum*, & *Clementem* hanc tulit sententiam: *Adalbertus*, cujus nobis Actus & nefaria commenta relecta sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos atque ungulas suas populis pro sanctuario exhibuit, seducens populum diversis erroribus; & quoniam, sub obtentu Angelorum, in suo auxilio Demones invocavit, ab omni officio Sacerdotali deponatur, agens poenitentiam pro commissis, & amplius populum minime seducat. Sin autem in his erroribus perseveraverit, & populum amplius seduxerit, sit ei Anathema, & eterno Dei judicio condemnetur, omnisque, qui ei consenserit, vel ejus secutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit. Similiter autem & *Clemens*, qui per suam stultitiam Sanctorum Patrum scripta respuit, vel omnia Synodalia Acta parvi pendit, inferens etiam Christianis Judaisum, dum prædicat fratris defuncti uxorem posse in matrimonio jungi, insuper & Dominum nostrum Jesum Christum descendente ad Inferos, pias & impios simul inde abstraxisse; ab omni etiam Sacerdotali officio deponatur & Anathematis vinculo obligetur, atque, nisi resipuerit, eterno Dei judicio condemnetur, vel etiam omnes, qui ejus sacrilegis consentiunt prædicationibus. Ex hac sententia, quam *Zacharias* Papa in *Adalbertum*, & *Clementem* in Synodo Romana tulit, patescunt errores, quibus duo illi Hæretici impliciti fuerunt, quosque rudi & imperitæ plebi instillare tentarunt. Sed de Hæresibus, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo prodierunt, hic plura non addam, acturus in proximo Colloquio de Conciliis, in quibus vel ejusmodi hæreses protritæ fuerunt, vel sancita est disciplina Ecclesiæ. Hoc erit igitur proximi nostri Colloquii argumentum, quod ad notitiam Historiæ Ecclesiasticæ omnino necessarium est.

## COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ sæculis septimo, & octavo sive ad præteritas Hæreses, sive ad sancendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

D. CUM inter Concilia, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo indicta fuerunt, alia sint Generalia, alia Nationalia; quædam ad extirpandas Hæreses, quædam vero ad collapsam Ecclesiæ disciplinam instaurandam convocata; præstat, ut incipiamus ab illis Conciliis, in quibus confixæ sunt Hæreses, & deinde progrediamur ad Concilia, in quibus sancita est Ecclesiæ disciplina. Cedo itaque in primis Concilia, in quibus damnata est Monothelitarum Hæresis, quæ septimo Ecclesiæ sæculo multorum pervasit animos.

M. Sub *Joanne IV.* Romano Pontifice an. dxxl. habitum est Romæ Concilium, in quo damnata est Monothelitarum Hæresis, & proscripta itidem *Ecthesis* Imperatoris *Heraclii*, sicut refert *Theophanes*, qui etiam testatur, in Africa in Provinciis Bizacena, Numidia, & Mauritania diversos pariter convenisse Episcopos, qui alias Synodos celebrarunt, & Monothelitarum Hæresim confixerunt. Alterum Concilium anno dxxlviii. Romæ convocavit *Theodorus* contra *Paulum*, & *Pyrhum* Episcopos Monothelitas, qui anathemate percussi sunt, & in eos lata sententiæ subscripsit *Theodorus* Papa calamo Christi Sanguine in Calice tincto, ut asserit *Theophanes*. Tertium Concilium, quod dicitur *Lateranense*, Romæ anno dxxlix. die quinta mensis Octobris coegit *Sanctus Martinus* hujus nominis Primus Romanus Pontifex, ut Typum Imperatoris *Constantis* & Monothelitarum Hæresim damnaret. Hoc Lateranense Concilium absolutum fuit in Pervigilio Festi omnium Sanctorum, eique interfuert centum & quinque Episcopi, inter quos erant *Maximus* Episcopus Aquilejensis, & *Deusdedit* Antistes Calaritanus. Constat hæc Synodus Lateranensis quinque Secretariis, seu Consultationibus totidem diebus consecutis, condiditque viginti quinque Canones, in quibus damnatur Monothelitarum Hæresis, ejusque Auctores, ac Sectatores, anathemate configuntur, necnon *Ecthesis* *Heraclii* Imperatoris, & Typus *Constantis* Imperatoris proscribuntur. Prudenti tamen Economia erga *Constantem* Imperatorem, qui Typum promulgaverat, se gessit *Sanctus Martinus* Papa. Typum namque sub *Constantis* Imperatoris nomine damnare noluit, nec anathemate eum ferire, ne inde Schisma fieret in Ecclesia, cujus paci & unitati consulere, in votis habebat Sanctissimus ille Pontifex. Tanta autem fuit hujusmodi Concilii Lateranensis sub *Sancto Martino I.* congregati auctoritas, ut post quinque Synodos Generales in professionibus fidei a Pontificibus Romanis fieri solitis, memoraretur, ut videre est in libro *Diurno Romano-*

*rum Pontificum* cap. 2. tit. 9. Decreta istius Synodi Lateranensis S. *Martini I.* publicavit per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Abbates, Monachos, & ad universos fideles directam. Hæc Monothelitarum Hæresis damnatio, & anathema Typo *Constantis* in Synodo Lateranensi dictum, iram hujus Imperatoris in Sanctum Pontificem *Martinum I.* vehementer accendit. Id enim ubi rescivisset *Constantis* Hæreticus Imperator, furore percitus, ipsum a Constantiniana Basilica vi abductum in exilium ablegavit anno dcliii. non vero, ut ait *Baronius*, anno dcl. Eo in exilio rerum omnium penuria, morbis, inedia & ærumnis confectus ad Deum migravit Sanctissimus Pontifex, sicut latius exposuimus in Colloquio secundo in Historiam septimi Ecclesiæ sæculi. Verum, mortuo Imperatore *Constante*, filius ejus *Constantinus* dictus *Pogonatus*, optimus, & religiosissimus Princeps ad Solium Imperiale provectus est, qui, secundum Deum, nihil antiquius habens, quam ut pacem Ecclesiæ procuraret, litteras ad *Donum* Romanum Pontificem direxit, eumque invitavit, ut convocaret Concilium generale, cui ipse, vel ab eo missi legati præessent. At, exempto e rebus humanis *Dono* Pontifice *Maximo*, ad manus *Agathonis* ejus successoris litteræ *Constantini* Imperatoris devenerunt, qui in tanto Ecclesiæ discrimine tam justæ petitioni libentissime concessit, iussitque, ut ante celebrationem Concilii generalis, variis in Regionibus Synodi celebrarentur, in quibus Monothelitarum Hæresis profligata est, videlicet in Synodo Mediolanensi habitata anno dclxxxix. in Synodo Anglicana eodem anno indicta, Præside *Theodoro* Dorovernensi Episcopo, & in Synodo Romana ab *Agathone* Summo Pontifice convocata, ut constat ex ejusdem *Agathonis* Papæ litteris ad *Constantinum Pogonatum* Imperatorem datis. His Synodis postrata quidem est Monothelitarum Hæresis, quæ tandem ultimo ictu confixa est a Synodo sexta Œcumenica, quæ est tertia Constantinopolitana, cujus Historiam hic perstringere necesse est.

D. Quandonam cœpta est Synodus ista Generalis, quot ei adsuerunt Episcopi, & qui illius Præsides?

M. Synodus sexta Generalis, quæ est Constantinopolitana tertia, cœpit Constantinopoli die VII. mensis Novembris anni sexcentissimi octogesimi in *Trullo*, ut legitur in prima Actione. Quid autem sit *Trullus*, late explicat *Du-Cangius* in Constantinopoli Christiana lib. 3. paragr. 32. & sequenti. Breviter hic observasse sufficiat, *Trullum* nihil aliud esse, quam Imperialis Palatii Secretarium in altum porrectum & superne fornicatum, idest rotundum & concameratum. In eo itaque ædificio, quod *Anastasius* Bibliothecarius in Vita *Agathonis* Papæ Basilicam, & in Vita *Leonis II.* Palatium appellat, celebrata est Constantinopoli sexta Synodus generalis. De numero Episcoporum, qui huic sanctæ Synodo interfuerunt, non satis inter Scriptores convenit. Alii quippe cum

Theo-